

III. An vero inter circumstantias, ex quibus pensanda est gravitas, vel levis furti, reponendus sit respectus ad personam, a qua res auferatur, ita ut major quantitas requiratur ad constituendum furtum pauperis; negant aliqui: Afferendum tamen est cum pluribus, & senioris doctrinae Theologis. Et ratio est. Quia gravitas furti pensanda est ex gravitate nocimenti, quod inferit: unde S. Thom. 2. 2. q. 86. ar. 6. ad 3. inde probat furtum materis levis esse veniale: quia, inquit: *de his, que minima sunt, homo non reputat, nisi nocentiam inferri, & illis, qui accipit, per se presumere, hic non esse contra voluntatem ejus, cujus est res.* Sed gravius nocentium inferitur per ablationem ejusdem materis pauperis, quam diviti; & gravius diviti, quam diolimo; & presumpit debet, qui accipit id, quod non est contra voluntatem divitis, esse rationabiliter contra voluntatem pauperis: quia ea, que dives negligit, pauper multi facit, & pauperi sunt necessaria, & in eorum amissione angitur, & torquetur; & id, quod diviti parum est, pauperi, qui minus habet, est multum: ergo ex conditione personarum. Major probatur. Tum ex D. Thom. allato. Tum quia: cum furtum injustitia sit, tunc major sit injuria, cum majus nocentium inferatur; & major repugnantia presumitur ex parte ejus, cujus est res. Hinc Nathan Propheta, 2. Reg. cap. 12. ut augetur gravitatem adulterii Davidis apposuit exemplum de divite, qui a paupere furatus fuerat ovem, quam vicinam habebat.

IV. Verum statueri in particulari, quantum sit materia gravis respectu divite, quantum vero pro paupere, non adeo facile est; unde in varios alienandi modos abeunt Auctores. Dico tamen: quod sicut in aliis materiis assignanda est materia, que respectu omnium sit parva; & respectu pauperis sit magna, & respectu omnium sit magna, & respectu divitis sit parva; sic in casu presenti, loquendo de materia justitie. Pono exemplum: Omittere decem Psalmos, est materia gravis respectu omnium, etiam respectu illius, qui recitare debet totum Psalterium: omittere vero unam Salutationem Angelicam est materia levis, etiam respectu illius, qui eam solam recitare tenetur. Omittere vero tres Psalmos respectu ejus, qui debet totum Psalterium recitare, est materia levis: respectu tamen ejus, qui debet unum tantum horum recitare, est materia gravis. Similiter: in die festo laborare quatuor horis, est materia gravis respectu omnium; uno autem quadrante esset respectu omnium materia levis. Respectu autem ejus, qui tenetur toto die festo ab opere vacare, si una laboraret, esset materia levis; respectu tamen ejus, qui solis tribus horis deberet ab opere cessare, labor unius horae esset materia gravis. Sic ergo in materia furti judicandum est, quantum sit materia gravis, quantum levis pro omnibus: quantum autem sit gravis, aut levis relate ad personas.

Unde dicemus: furtum unius aurei esse materiam gravem respectu omnium, etiam Principum, aut Regum; quia etiam his afferatur notabile nocentium, cum uno aureo possit unum, aut duos milites alere. Et licet Reges habeant magnas divitias; habent tamen etiam onera magna, & ardua rerum negotia, que nonnullis magnis sumptibus peraguntur; & ideo gravitas Principum fore semper exhausta fuit. Unus autem, vel duo julii erunt materia levis respectu omnium, absolute loquendo, & praevis circumstantia specialis nocentium, vel damni. Inter his duas assignanda est materia respectu gravis, aut levis. Hoc autem judicandum relinquo, ex circumstantiis loci temporis, aut personarum.

S. II.

Resolutio Dubii.

V. Innocentius XI. inter plures alias hanc proscripsit propositionem, n. 38. nempe: *Non tenentur quis sub parva peccati mortali restituere, quod ablatum est per pauca furtiva, quantumcumque sit magna summa totalis.* Ut ergo rationes talis damnationis examinemus.

VI. Suppono primo, ut certum apud Doctores; quod si quis a pluribus, vel ab uno pauca auferat, animo profectandi usque ad magnam quantitatem: absque dubio mortaliter peccaret, saltem ob pravum animum auferendi materiam gravem (quidquid sit, an actus exterior peccatum mortale esset) quia haberet animum inferendi grave nocentium proximo. Quare ut falsam, & perniciosam sententiam sententiam illorum, qui a peccato mortali excusant eos, qui animo ditentendi parva a pluribus subtrahunt. Dicitur enim, eos peccare mortaliter: & esse restitutioni obnoxiosos: si de facto ad magnam quantitatem accedant; vel domoitis: si sint noel, vel Communiciati, vel si non aliter, pauperibus, & in sua opera. Et ratio est. Quia licet sic furans, uni, aut alteri parum noceat: Communiciati tamen ex illis pluribus constituitur multum; & Reipublice plurimum nocet dum abique illo titulo tem magnam sibi vult arrogare, & ex alieno sine labore disteferre. Alioquin jam liceret, uti ponderibus, aut mensuris justo minoribus: & sic per pauca furtiva facta disteferre. Contra quod, *Proverbia 11. v. 1.* dicitur: *Scitosa de lesa abominatio est apud Dominum.* Et *Deuter. 25. v. 13.* Sec. *Non habebis in sacculo diversa pondera majus, & minus. Nec eris in domo tua modicus major, & minor.* Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hoc. Unde Reipublica bene ordinata hujusmodi homines, tamquam humane societati perniciosos, semper oderunt; & in crimine deprehensos gravibus poenis multare consueverunt. Idem sentit San-

ctus Thomas 2. 2. qu. 66. ar. 6. ad 3. ubi postquam exculavit a peccato accipientem furtive res minus, addit: *Si tamen habet animum furandi, & inferendi nocentium proximo; etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale, sicut & in solo regitatu per consensum.*

Qui vero a pluribus exigua furatur animo deveniendi ad magnam quantitatem, unum solum peccatum mortaliter continentium committit; ac si unico actu eandem quantitatem ab uno furaretur: in quantum omnia illa furtiva subsunt uni voluntati accipienti furtive notabilem quantitatem. Ad restitutionem autem sub mortali non tenetur; nec reservationem, aut censuram (si quis pro gravi furto lata esset) incurrit: nisi dum re ipsa notabilem quantitatem attingit.

VII. In assignando autem, quando furta minuta ascendunt ad notabilem quantitatem; iudicio Prudentum, & conscientiarum cujuscumque standum esse: arbitror. Multi tamen hoc statuant, nempe, majorem quantitatem requiri, ut fiat mortale, in ea, qui a pluribus minuta surripere, absque industria, & animo disteferendi; quam in ea, qui tali animo surripere. Et rursum, majorem quantitatem requiri, ut peccet mortaliter. Et le, qui eadem ab uno dumtaxat caperet: quis plures per illa minuta minus leduntur, nec ita curant restitutionem rerum minutarum, sicut presumeretur curare homines, quando ab eo solo erant furati. Et demum, majorem quantitatem requiri, ut mortaliter peccet, qui ab uno minuta successive furatur; quam qui totam illam quantitatem uno actu sumpsit; quia in illo casu per repetitionem surripitionem paucorum non ita damnificatur, sicut in isto.

VIII. Difficultas est de eo, qui absque animo deveniendi ad magnam quantitatem, revera tamen, & cum advertentia deveniret ad notabilem quantitatem in illis minutis furtis: mortaliter peccet, non quocumque actu, sed illo, quo cum advertentia furatur praeceptorum, que non restituunt, complet materiam gravem. Dixi, cum advertentia furorum praeceptorum: quia inculpabilis inadvertentia ab omni peccato excusat. Dixi etiam, *Qui non restituunt;* quia si pro preceptis parvis furtis jam restituit, nemo asserit, peccare mortaliter per levem novam surripitionem: cum hoc nullo modo inferat grave damnum in tali casu.

IX. Dico ergo. Qui etiam sine intentione disteferendi, & surripienti magnam quantitatem, revera tamen, & cum advertentia minutim plura furatur; scilicet, ac devenit ad notabilem quantitatem, peccat mortaliter; & tenetur ad restitutionem. Unde si notabilis materia constituitur peccatum mortale furti esse decem julii; ille, qui reperitis vicibus furatus esse novem julios, scilicet, ac furatur decimam julium, sit reus lethalis culpe; & incipit ad restitutionem teneri. Probatur. Est ultimum furtum, puta unius julii, non attingit gradum fide notabilem quantitatem; sed sic furtum minutum, & absolute ac praevis acceptum non inferat proximo grave damnum: ut tamen est completivum, & consummativum furorum precedentium, cum quibus unum mortaliter est, & que continet quasi in virtute, constituit materiam notabilem, & gravior laedit proximum; ergo constituit peccatum mortale. Ant. prob. universim. Quoties aliquis sub gravi prohibetur, si ratione parvitas materis hic, & nunc peccatur advertens tale preceptum solam venialiter; graviter tamen peccatur, quando ob multiplicationem materiarum parvarum pervenit ad materiam notabilem, ab eo precepto prohibentem: damno in illa ultima materia parva advertatur, quod cum reliquis preceptis materia notabilis confurgat. Quod ostendo, cum ratione, tum exemplis.

Ratione quidem: Qui ille gravior violat legem, qui facit, ut in re ponatur id, quod a lege gravior prohibetur; sed in casu, qui post illa minuta furtiva novem juliorum, adderet furtum decimi, poneret id, quod a lege gravior prohibetur; nempe, materiam notabilem juliarum decem, & grave nocentium proximo inferret; ergo &c.

Exemplis autem. Primo, a pari. Qui enim post illa furtiva novem adderet, illud novum restituere non posset; sed deberet sub mortali restituere, ut fore omnes consentiunt; ergo necesse post illud accipere: & sicut peccare illud detinendo, cur non peccaret, illud accipientes? Sicut enim detinendo illius ultimi furti, ratione advertentiae, mortaliter continentur cum prioribus detentionibus; quia ultimo actu detentionis advertens materiam gravitatem consentit in eam: cur acceptio ejusdem non continuabitur cum prioribus acceptio-nibus?

Secundo. Qui in die jejunii post plures minutas comestiones advertenter addit ultimam, qui complet materiam notabilem prohibitam a precepto; illa ultima mortaliter peccat, & frangit jejunium: & oppositum damnatum est ab Alexandro VII. *Propos. 29.* Rursum: qui in die festo plures parum laborat, peccat graviter, quando advertit, se ad tempus notabile suo labore pervenisse. Similiter, qui pluries eadem die omisit parvum de horis canonicis; dum advertentes ad omissionem partis notabilis devenit, peccat mortaliter.

X. Sed dices primo. Singula illa minuta furtiva non sunt nisi peccata venialia; sed venialia etiam multiplicata non possunt evadere unum mortale; ergo &c.

Si responderetur, plura quidem peccata venialia, est multiplicata, secundum se non posse evadere mortale, per accidens tamen, & ratione materis posse, inferendum est: si nempe materia, que erat levis, per repetitionem fiat notabilis, & gravis; ut contingit in casu, et si superius ostensum est. Neque in hoc casu plura peccata sunt mortale formaliter; sed solum sunt dispositio ad mortale, nempe, ad illud

illud ultimum, quod formaliter est peccatum mortale: quia continet precedentia, que unica cum illo constitunt materiam notabilem. Peccata autem venialia disponere ad mortale, docet S. Th. 1. 2. q. 88. a. 3. & nos exposuimus, Tom. 1. in 1. 2. q. 3. de Peccatis, dub. 4. S. 2.

XI. Sed infabius. Quod in ultimo furto damnum incipiat esse notabile, non habetur unice per ultimum furtum; sed per illud, & per precedentia: sed unumquodque eorum est veniale; ergo non est ratio, cur ultimum sit mortale, cum non minus sit materia parva, quam cetera. — Si dicas, evadere materiam gravem, quia continuatur cum precedentibus, & est unum mortaliter cum illis, eaque virtute includit, ac continet;

Contra est. Nam quod materia aliorum precefferit, non facit, quod hoc ultimum, quod versatur circa materiam levis, ex se dicatur inferre nocentium in materia gravi: sicut, qui post furtum grave, aliquid leve ab eodem surripit, non peccat mortaliter, licet hoc materia sit magna ex conjunctione cum precedentibus; quia ex se est levis, & actus circa illam est solum peccatum veniale.

XII. Respondeo, optimam esse solutionem datam. Ad instantiam in contrarium, dico, quod qui ad quantitatem magnam, quam jam furatus est, puta, decem aureorum, addit novum furtulum, puta medi, aut unius julii: vel habet unum quantitatem illam magnam restituendum; vel cum animo eam detinendi adjungit novum furtulum. Si primum: novum furtulum non erit mortale, propter scilicet dicenda. Si vero secundum: illa voluntas retinendi magnam quantitatem jam surripitam, erit quidem peccatum mortale, novum autem furtum, quod modo in materia levi fecit, non est novum peccatum mortale, ex defectu materis, augeat tamen malitiam precedentis peccati. Non quidem est mortale in utroque casu: quia qui per parva furtiva pervenit ad quantitatem notabilem, completivum jam peccatum mortale fecit; dum vero novum furtum parvum committit, incipit aliam lesionem furorum levium, que non continuatur cum antecedente, nec ratione intentionis quia, suppono, non adesse intentionem perveniendi iterum ad materiam gravem: nec ratione materis, quia hoc jam facta est gravis per furtiva precedentia. Restat ergo, quod inchoatur nova series, que consequitur non accedit iterum ad magnam quantitatem, non constituit peccatum mortale; idem vero accedit, constituit diversum, ac si essent duo furtiva materiae gravis. — Hinc probabiliter dicta sine. Non enim defuit, qui oppositum sentiant. Sed nobis videtur durum asserere, quod postquam quis furatus est decem aureos, si postea ab eodem furatur unum obulum, peccet mortaliter.

XIII. Dices secundo: Qui velle singulis diebus Quadragesimae materiam parvam comedere, non peccat mortaliter: quia omnes illi comeditiones notabilem quantitatem efficiunt, nec coalescent in unam ratione diversae diei, quo sumuntur; ergo quando diversis actibus plura parva furtiva parantur, ratione diversitatis actuum non coalescent in unum, neque unam materiam notabilem efficiunt.

Respondeo, neg. conf. Multiplicis enim diebus multiplicatur preceptum jejunii; quoties autem materia levis non violat idem preceptum, non coalescent in unum mortaliter: & ideo nunquam peccat graviter contra preceptum jejunii, etiam si singulis diebus Quadragesimae aliquid comedatur: contra vero, quando, licet repetitis actibus, idem preceptum violatur, ut in casu. Quod ad advertentiam etiam dici debet: qui concedat esse mortale, velle eadem jejunii die unam vicem cibi comedere, negant tamen, esse mortale, velle singulis diebus Quadragesimae unam cibum manducare.

XIV. Dices tertio. Qui sepe peccat leviter contra unum, vel plura vota, nunquam devenit ad materiam notabilem, ita ut peccet mortaliter: unde qui sepe peccat leviter contra votum castitatis, vel obedientiae, nunquam mortaliter contra illud votum peccat; ergo a pari.

Respondeo, neg. conf. Sicut enim multa mendacia levia, que opponuntur virtuti veracitatis, nunquam pertingunt ad mortale; ita nec multa venialia adversus castitatem, vel obedientiam; quia neutra coalescent in aliquo effectu, nec simul sumpta continentur materiam graviter prohibitam per illa precepta. Verum plura furtiva, que opponuntur virtuti justitiae, si replicentur, coalescent in unam materiam notabilem ledentem jus alienum: & ideo evadunt peccatum mortale.

XV. Dices quarto. Monachus, qui sepius furripit de bonis Monasterii comestibilia, in parva quantitate, etiam si successu temporis deveniat ad magnam quantitatem, non violat tamen graviter paupertatis votum; ergo &c.

Respondeo, omisso ant. (de Monacho tamen sepius furripiente boni parva Monasterii, non ut vendat, aut extraneo donec, sed ut in proprium usum convertat) neg. conf. Quia Religiosus, est furripit sepe, & per varia furtula comestibilia ad proprium usum, usque ad quantitatem notabilem, ideo non peccat mortaliter in hac opinione (qui tamen aliqui refragantur) quia Superior non censetur rationabiliter invidus. Si enim dominus non censetur rationabiliter invidus in hujusmodi furtulis comestibilibus, que sunt a sumis in proprium usum; & multo minus in iis, que sunt a sumis; non erit rationabiliter invidus Superior relate ad subditos, qui non famulatur, sed potius equiparatur aliquando illis. Religiosus tamen, qui unico actu magnam quantitatem, etiam ad suum usum surripere, peccat mortaliter; quia Superior rationabiliter invidus censetur. At in casu, de quo agimus, dominus censetur rationabiliter invidus, ut per parvula furtiva sibi magni quantitas surripiaur: & ideo non valet paritas.

XVI. Queres primo: An aequo mortaliter peccet, qui per

pauca furtiva surripit notabilem quantitatem ab uno; ac ille, qui eam furripuit a pluribus?

Respondeo affirmative. Tum quia: valor talis materis combinatae in utroque casu non est modicus, sed gravis. Tum etiam: quia licet singuli non damnificentur graviter, bene tamen Communitas. Tum denique: quia opposita sententia dicit peccatum illis, qui diversos in paucis defraudant, & le-nocentiam ad iteranda furtiva. — Crediderim tamen cum multis (est autem aliqui negent, plus, ut supra dixi, requiri ad constituendam materiam gravem in parvis furtis; factis pluribus, quam si sint eadem. Quod enim sufficit ad graviter damnificandum privatum, non sufficit ad damnificandum Communitatem.

XVII. Queres secundo: An per longa intervalla temporum discontinguntur parva furtiva; in ut furtula parva post menssem, aut semestrem, non concitientur cum precedentibus: sicut non constitunt unam materiam eam illis?

Respondeo, probabilis mihi videri, merum temporis spacium intercedens inter minuta furtiva aetere quidem discontinuitatem mortalem: per hoc, quod fur sciens, & volens, ac advertens, se jam aliis vicibus furatum fuisse, & per ultimum furtum compleri materiam gravem, adhuc consentit in illam. — Si vero dictus fur ante ultimum, aut penultimum, vel ante penultimum furtum completivum materis notabilis, serio proposuisset a furtis desistere, aut restituere, & tamen postea furaretur leviter, hoc ultimum furtum esset mortaliter discontinuum a precedentibus; & ideo non peccaret mortaliter.

XVIII. Queres tertio: Quid sit restituendum ab eo, qui per parvula furtiva pervenit ad notabilem quantitatem: nimirum, an totum illud, quod pluvium abulit, an solum illud, quo materiam notabilem completit?

Respondeo, secundum communione opinionem, sufficere, ut restituat illud ultimum, quo materiam notabilem completit. Unde si qui parvula furtiva esse novem julios, & deinde furatur decimum, qui incipit jam esse materia notabilis, & obligatus ad restitutionem, alio destineret rem alienam gravem, domino laeso & iniurio: factis erit, ut restituat illud ultimum, quod abulit, nempe, decimum. Et ratio est. Quia illo restituro, non amplius verificatur, quod destitueret alienam notabilem, nec quod graviter laedit proximum. Si enim ante furtum decimi julii non tenebatur sub gravi restituere: quia tunc non habebat rem alienam notabilem: neque tenebatur illam restituere, postquam restituit id, quod ultimo furtulo sustulerat, & quo materiam notabilem facta fuerat.

S. III.

De quibus plures per minuta furtiva grave damnum inferunt, nisi, singulis mortaliter peccent, & restituantur restituere.

XIX. Casus hic frequentissimus est: qui tamen tribus motu confessione, hortant, & uno alterum adjuvando conveniant ad grave damnum proximo simul inferendum: puta, si multi data conventione intrantes vineam alterius, in ea grave damnum inferant. Et tunc licet eorum singuli parvam quantitatem capiant; singuli tamen mortaliter peccant, & ad restitutionem tenentur, ut omnes conveniunt. Et ratio est. Quia ut, *Aut. proculone s. 2.* dictum est, omnes causae sunt totalis ejus; & ratione consensus in illud, sunt una causa totalis ejus; & non est, cur unus potius teneatur, & non alius; ergo tenentur omnes. — An vero singuli teneantur in solidum, vel singuli suam partem, jam dictum est, citato loco, non teneri, nisi ad partem damni, quod quisque intulit, etiam alio non restituente (nisi forte confilio, aut hortatu, vel alio modo incitator, & motor fuisset carcerum, vel damnum esset indivisibile) Et ideo si ceteris restituentibus, pars, que remanet, esset exigua; tunc non tenebatur eam restituere, sicut si eam ab initio solus cepisset.

XX. Secundo. Contingere potest, per parva furtiva inferri grave damnum a pluribus: ita ut nullus de damno ab altero illato sit conficius: ut si ingrediens quis vineam alterius, & nesciens ab aliis fuisse damnificatam; unum, vel alterum rancemum ex ea accipiat, & similiter eodem modo alius. In tali casu, nullum eorum graviter peccare, sur ad restitutionem teneri, omnes consentiunt: quia in tali casu nullus per se est causa damni notabilis, cum nec moveat, nec consentiat, nec sit conficius damni ab alio illato: unde perinde se habent singuli, ac ipsi soli separatim modicum accipientur quantitatem.

XXI. Tertio. Contingere potest, ut licet unus non sit causa furti alterius, nec communi consensu cum illo ad damnum inferentis conficius tamen sit, & advertat, quod ex suo, & alterius furto damnum notabile confurget, & hoc non obstante parvam accipiat quantitatem: an tunc peccet mortaliter, & restituere tenentur. Et in hoc versatur praesens difficultas, in qua haerere video Doctores.

XXII. Quidam enim affirmant, & dicunt, peccare mortaliter. Unde si videns plures a longes, qui de vinea rancemum accipiunt, absque tuo consensu, & concursu, accedas & tu, & unum, vel alterum botrum accipias; vel si transiens per vineam, quam prius rancemum onulsum vidisti, & postea simivacuum reperis ante vindemiam, & prudenter judices, devastatam esse a transluentibus, & tu unum, vel alterum rancemum carpas, peccas mortaliter, secundum hos Auctores, ob sequentes rationes.

Prima est. Quia si advertas, fieri magnum damnum per fur-

ta a pluribus, & fureris, cooperaris, & auxilium ad illud notabile damnum prebes; ergo peccas mortaliter, & ad restitutionem teneris tunc partis, donec per aliorum restitutionem res, a te retenta, minime pretii non exierit.

Secunda est. Quia per tuum factum es causa, ut damnum, quod ceteroquin parvum erat, fiat magnum: ut si scias, alios quoque ad tria suscipisse, & tu suscipias unum, quo confurgat damnum ut quatuor, quod facit magnum.

Tertia. Quia omnes, qui hoc damnum dedere, possunt poena Excommunicationis compelli, ut restituant suam partem. Videns enim Dominus suam vineam devastatam, potest ab Episcopo consequi, ut sub poena Excommunicationis cogat devastatores damna restituere, ut omnes concedunt, cum agitur de re gravi; & qui in tali casu non restituit, incurrit Excommunicationem; ergo peccavit mortaliter accipiendo, & modo detinendo peccat: quia Excommunicatio non nisi ob grave crimen incurritur.

Quarta. Si tu furripiendo pauca, non peccares, nec restituere teneris; nec ille pauca furripiendo, nec ille peccaret; ergo fieret, ut quis magnum damnum acciperet, imo & spoliaretur omnibus fructibus, nemine graviter peccante, aut obligato ad restitutionem quod videtur magnum inconveniens. Propter hanc opinionem multi, sique graves Auctores, suffragantur.

XXIII. Aliis tamen omnis dura, & plurimis scrupulis obnoxia apparet. Cum enim sciamus, plura modica, imo & gravia Principi, vel Republice furripis peccaremus graviter, vel unum obdolum ex bonis illius acciperes, quod asperum esset. Cumque nullus sit, qui saltem leviter non ledat Principis, vel Communis bonum, gabellas defraudando, vel alteri in quas angustias pietatis conscientie non conjiceretur? — Sequeretur insuper, quod si scires, alium notabile damnum alteri intulisse, & tu eidem inferres leve, graviter delinqueres. — Rursus si videres alterius famam a pluribus morderi, & tu levem ei culpam inureres, graviter peccares: quia cum aliis ad gravem laesionem famae illius concurreres. — Tandem, quod gravius infinite peccaret, qui furripere unum, quam alii furripientes quinque: si per illud unum confiteretur materia gravis: quia illi solum leviter damnificasset, ille suo actu graviter delinqueret: jesset enim causa, ut damnum, quod non erat notabile, furripiendo unum, fieret notabile.

XXIV. Sentiant igitur, non peccare graviter, nec ad restitutionem teneri eum, qui post furta parva, & etiam magna aliorum, modicum accipit; etiam si aliorum furta non ignoret: dummodo tamen non incitaverit illos, aut moverit, nec cum illis concurrerit, aut consenserit ad furripendum. Et ratio est. Quia ille ex parte sua modicum damnum intulit: & sic ex hac causa solum peccat venialiter. Alias non est causa, ut alii furentur, nec cum illis conspiravit in furum: ergo per furum aliorum ejus furum non aggravatur, nec de levi fit grave. Sicut is, qui fecit, alios furari Regi, & furatur leviter eidem, non participat in crimine aliorum. Quam-

obrem quia haec opinio non modicos etiam habet Patronos, & in praxi forte plures; restat, ut videamus: num momenta contraria tanti ponderis non sint, ut illi non obstantibus, oppositum possit tute sustineri.

XXV. Ad primum ergo respondeo, quod dato, quod in casu tu coopereris in re, & physice magno damno, cooperaris tamen in modica parte; & praesumitur, praeter tuam intentionem esse, ut furum tuum cum furis aliorum conjungatur, & ut ex omnibus magna quantitas confurgat: unde in totum damnum consentire non diceris; nec mortaliter ei cooperari, sed magis tuae utilitati prospicere. Cumque id facias, parum tibi fumendo, videris, potius displicentiam habere, quod alii magnum damnum intulerint.

XXVI. Ad secundum dico, si post aliorum minuta furta parum accipias, te non fore causam damni notabilis, sed modici: hoc autem modo complere damnum notabile ab alio causatum, non est notabiliter ledere. Quod enim cum aliis complexas, praeter intentionem tuam est; accidit enim tibi, quod alii abstulerint; & ideo non es causa, ut tibi totum damnum impeteretur, sed illud solum, quod tu dedisti. Sicut enim si alii nonaginta novem darent Petro, & tu postea eidem dares unum, quo centum compleres; non dicereris centum dedisse, sed unum tantum, etiam si scires, alios dedisse nonaginta novem; nec dicereris causa, vel cooperatori cur alii nonaginta novem dedissent. Ita si alii abstulerint a Petro nonaginta novem, & tu auferas ab eo centesimum, non debes dici ab eo abstulisse centum, neque fuisse causa, vel cooperatori, ut illi centum erepta fuerint: quamvis scias nonaginta novem ei ab aliis erepta fuisse.

XXVII. Ad tertium, dico, quod esto Excommunicatio non liget, nisi peccantem mortaliter; potest tamen ex justa causa, imponi praecipuum etiam de re, quae alias non esset gravis; sub poena Excommunicationis frangenti illud: & tunc peccares mortaliter, non quia accepisti, aut detines absolute; sed quia accipiendo, & detinendo, non vis obedire praecipuo. Et supra hanc inobedientiam cadit Excommunicatio.

XXVIII. Ad quartum. Non refugimus fateri, in pluribus casibus contingere grave alterius damnum, quin ullus peccet mortaliter, & sub mortali teneatur restituere, ut in casu praesenti, quod & Adversarii tenentur fateri. Nam si nesciens, alios per parva furta furatos esse in vinea alterius, tu modicum fureris; ita ut tuo furto complexas materiam notabilem, dominus vineae grave damnum patietur: & tamen nec teneris restituere, nec alii, ut omnes dicunt. Similiter si a pluribus, per modicas detractiones, fama alterius est imminuta, ita ut ex omnibus confurgat infamia notabilis; illius fama grave detrimentum patietur: & tamen nullus tenetur famam relaxare, quia quisque leviter tantum illi detraxit, & nullus graviter peccavit, detrahendo.

Hec factis sint pro praesenti Tractatu, & pro generali mei Candidati instructione circa materiam, & debitum restitutionis; relinquendo alios Casus magis particulares Theologis Moralibus.

F I N I S.

